

## CONCIO X.

Christi sicut sol, vestimenta autem ejus sicut nix; sic etiam in judicio veniet cum splendore et majestate, omnia videns et illuminans, omnium corda velut perlustrans, ne non vestium candore, hoc est, gloria justorum, qui Christo tamquam vestes adhaerent, circumdabitur et ornabitur juxta id Isa. XLIX. « Omnis his velut ornamento vestieris et circumdabis tibi eos quasi sposa. » Unde Greg. I. XXXII. mor. c. VII. ait: « In transfiguratione quid aliud quam resurrectionis ultimae gloria nuntiatur? In monte vestimenta ejus sicut nix facta sunt, quia in superna claritate culmine, sancti omnes et luce justitiae fulgentes adhaerent. » Sic Greg.

Quinto, in transfiguratione apparuerunt Moyses et Elias; ille ex mortuis, hic e vivis: sic vivos et mortuos judicabit Christus. Moyses Christum antegressus est, apostoli comitabantur, Elias sequitur ultimis temporibus, ut scias Christi meritum salvos fore, quotquot salvi erunt, qui ante ipsum, qui cum ipso, et qui vixerunt post ipsum: et hos omnes daturos Christo gloriam.

Sexto, in transfiguratione gravati erant somno discipuli, postea vigilantes viderunt gloriam Domini; sic etiam ante judicium omnes morituri sunt, et audient vocem illam: *Surgite mortui, venite ad judicium. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate*, Matth. XXIV.

Septimo, in transfiguratione Petrus dixit: *Bonum est nos hic esse*: similiter in judicio dicent etiam electi ad dexteram Christi stantes: *Bonum est nos hic esse*, ubi gloria, pax, gaudium et perpetua securitas.

Octavo, in transfiguratione apparuit nubes lucida et obumbrans: sic etiam Christus judex in nubibus caeli veniet, tamquam in curru regio sub eius umbra protegentur electi.

Noно, denique in transfiguratione vox de nube facta est: *Hic est Filius meus, etc. Ipsum audite*. Sic quoque in judicio intonabit Christus veluti e nubibus, et proferet sententiam, cui perpetuo standum erit. Et primo, ad electos dicit: *Venite, benedicti Patris mei, etc.* Postea vero vultu horribili ad impios converso, ablegabit eos in infernum, dicens: *Discedite a me, maledicti*. Et si discipuli Christi suavem illam Patris vocem audire non potuerunt, quin caderent in facies suas et timerent valde: quo animo, quo sensu, qua formidine audient damnati vocem Christi? Quam gravi lapsu ruerunt! Quod si Adam in paradyso, voce Dei vocantis territus est, dicens: *Audivi vocem tuam, et timui*: quomodo sustinebunt reprobri vocem repellentis? *Leo rugiet, quis non patabit?* inquit Amos, c. III. Quare: *O beati oculi*,

inquit S. Basilius, orat. de transfig. qui terribilem illum diem in amicibili specie videbitis. Quod donet nobis Deus.

## CONCIO X.

### MYSTERIA.

I. Cur assumpti tres tantum discipuli? — II. Cur Petrus, Jacobus, et Joannes? — III. Cur ducti in montem excelsum seorsum? — IV. Qualis haec transfigratio? — V. Cur comparuerunt Moyses et Elias? — VI. Qua de re locuti? — VII. Ad quid adducta nubes? — VIII. Cur taceri voluit Christus hoc mysterium? — IX. Quomodo Pater in Filio sibi placet? — X. Quis ordo transfigurationis?

### THEMA.

*Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus, etc.* Matth. XVII.

Ter, in anno legitur evangelium hodiernum. Lectum fuit in hesterno officio, legitur in hodierno, legitur in festo transfigurationis. Nec una est haec rei causa. Affert enim laboris et imprimis abstinentiae quadragesimalis dulcissimum levamen, dum in eo videmus quanta bona Deus preparavit diligentibus se et carnis suae dominitoribus, quales erant Moyses et Elias, visi et ipsi cum Christo in maiestate, quia cum ipso etiam quadragesimam jejunarunt. Sic filius alacrior fit ad studendum, cum subinde pater ostendit ei pulchrum pannum, ex quo vestem ei pollicetur. Deinde, quoniam Christus gloriam suae transfigurationis occultari voluit usque dum resureret; docet ut nunc tanto magis eam publicemus, et passionis ejus confusione, hac gloria compensemus. Denique, quia de longe venientes et mirabilia narrantes libenter et avide audimus, praesertim de nostra patria. Sic Israelitae in captivitate Babylonica rogati ut canerent suis organis, Psalm. CXXXVII. ita respondent: *Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea fauibus meis, si non meminero tui: si non proposuero Jerusalem in principio latitudinem meam*, q. d. si non imprimis memor sim meae patriae, exarescat dextera, quae pulsare solet citharam, obmutescat lingua, quae recinere solet. Itaque, auditores, quoniam hoc evangelium nova nobis affert de coelesti nostra patria, studiose indagamus et attente audiamus omnia, quae dicuntur.

I. Cur assumpsit tantum tres discipulos ad spectaculum suae transfigurationis? Respondeo primo, quia voluit ad tempus hoc mysterium occultum esse, uti demum praecipit. Melius

## DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

797

autem occultari poterat, si paucis, quam si multis monstraretur. Quod multis revelatur, occultari nequit. Unde Sapiens, Eccles. VI. *Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille*. Multi sunt uti Iacob Asphaltites in Judaea, ubi nihil mergi potest, omnia supernatant, teste Plinio, I. II. c. CIII. qui nimis arcanum nullum retinere sciunt.

Secundo, quia sufficiebat testimonium trium, juxta id Deut. XIX. *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*. Ceteris satis, imo melius erat, his credere propter meritum fidei, nam *beati qui non viderunt et crediderunt*. Ita paucos adhibuit Christianos testes suae resurrectionis; ceteros credere voluit.

Tertio, ut ostenderet perpaucos esse eos, qui coelestem gloriam sunt adepturi, etiam ex illis qui putantur vulgo boni. Vulgus siquidem omnibus blanditur, et facile alios judicat bonos: quia et talem se haberi optat et saepe asinus asinum fricat. Similiter in providentia universalis Deus nullum excludit; utilitur enim et Iuda saepe ad praedicandum, sanandos aegrotos, etc. tamen quando venietur ad particularem providentiam et distributionem secundum eujusque merita, multi excludentur praeter omnium expectationem, et multi quidem vocati sunt, pauci vero electi.

Quarto, ut discamus virtutes proprias citra necessitatibus non aperire, sed potius defectus nostros: sic Christus Hierosolymis, loco celebrissimo et festo solemnissimo, adeoque coram grandi multitudine pati voluit, transfigurari coram paucis.

Quinto, ut doceret paucis datum esse frumentum dulcedine spirituali in orationibus, communione, tribulationibus, etc. in hac vita; plerisque difterri in alteram vitam, ubi proprius locus est.

II. Cur Petrum, Joannem et Jacobum? Respondetur primo, quia Petrus erat successor Christi futurus: cur autem Pater non manifestet sua secreta Filio quem successorem constituit? Joannes erat Christi secretarius futurus et quidem intimus; Jacobus erat primus ex apostolis calicem Domini bibiturus per martyrium.

Secundo, quia hi tres maximum habebant zelum tuendae glorie Christi. Petrus pro eo mori paratus fuit, ideoque gladium exeruit eum defensurus. Ceteri duo Boanerges, Domino excluso de civitate Samariae, ignem de celo in eam provocare volebant, zelo honoris Domini sui.

Tertio, quia hi majore dignitate praediti et ceteris excellentiores erant: Petrus fide et dilectione, Joannes virginitate, Jacobus fervore et

zeulo animarum; unde et ad suscitacionem filiae Jairi, et ad hortum Oliveti assumpti. Mundus Judam assumpsisset, hos tres ad radicem montis reliquisset!

Quarto, ut indicarent tres conditions meritorum, quibus gloriam promereri oportet: statum gratiae in Joanne, promptitudinem voluntatis in Petro, difficultatem operis in Jacobo, qui luctor exponitur.

Quinto, ad indicandum tres aureolas, doctorem in Petro, virginem in Joanne, martyrum in Jacobo.

III. Cur duxit eos in montem excelsum seorsum? Respondetur primo, ut doceret nos vim orationis orandi modum. Oratio enim est elevatio mentis in Deum, in qua terrena despiciimus et parva esse videmus; coelestia vero bona et magna. Ad hanc vero rite instituendam requiritur vel saltus utilissimus est locus solitarius vel certe mens solitaria, id est, nullis terrenis rebus intendens: unde inchoatur orationem, prius formare conceptum debemus, quasi nunc e valle saecularium curarum ascendere velimus ad montem contemplationis coelestium, et longe ab hominibus soli cum Deo loqui.

Secundo, ut doceret ascendum esse ei, qui vult gloriam coelestem, cuius typus est hincmons excelsus, consequi; regnum enim celorum labore comparatur. Idecirco etiam Matthaeus post sex dies ait Christus transfiguratum. Senario dies laborum comprehenduntur, septenarius autem quietis est et sabbati. In terrena negotiatione plus proficit astutia et ars, quam labor; ideo mercatores communiter ditiores sunt operariis: in coelesti vero plus valet labor, quam astutia. Unde Psalm. XXIII. dicitur: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus*, id est, qui operatur non bona tantum sed bene. *Et mundo corde*, id est, alienus a desideriis et cogitationibus etiam malis. *Qui non accepit in vanum animam suam*, id est, qui agit id, ad quod est creatus, laboratque sedulo. Omnes morituri aspirare se ad celum dicunt; interim sepe de sufficienti confessione et alius requisitus audire nolunt, saepe nec unica eleemosyna ab illis extrudi potest, qua sibi viam ad celum parent, quod aliud non est, quam velle in celi monte esse, sed nolle interim ascendere.

Tertio, ut doceret beatitudinem veram non esse querendam in hac mundi valle, sed in coelesti illo monte: ibi enim beneplacitum est Deo habitare. Multi autem sunt qui semper et solum cogitant terrena, nec ullam de celo curam aut cogitationem habent: ranis quam

simillimi, qui perpetuo in paludibus et vallibus versantur, nunquam in montem condescendunt. Et licet aliquando e palude sua in terram prosiluant, proxime tamen paludi assident, et mox in eam resiliunt. Prorepunt et illi e domibus et agris suis in templum quandoque, sed interim paludem suam cogitant, et ad eam redeunt, nullo fructu in Ecclesia percepto.

Denique, quia praelata Dei opera et beneficia fere in montibus semper exhibita. Lex in monte Sinai Moysi tradita; eidem in rubo apparuit Deus in monte Horeb, similiter et Eliæ in monte erexit Isaac a gladio parentis; in monte paucis panibus pasti homines a Christo; in monte Dominus erexitur; e monte ascendit in cœlum; in montem demisit Spiritum sanctum; in monte undecim discipulis redivivis apparuit, etc. Nimirum ut hæc tam insignia monumenta et beneficia magni faceremus et immortali memoria commendaremus, eaque prædicaremus super tecta et montes. Quoniam igitur in hac transfiguratione gloria Christi declaranda et ipse novi testamenti legislator promulgandus fuit, ideo in monte instituta est.

Communis autem sententia est montem fuisse Thabor (quod exponitur: Venit lumen) vicinum Capharnaum urbi, in quam a transfiguratione mox descendit Dominus. In eo postea Christiani tria tempora extruxere, teste Beda, capite XVII. de locis sanctis.

IV. Qualis fuit hæc transfiguratio? Resp. primo, fuisse assumptionem illius claritatis, quæ est una ex quatuor dotibus corporis glorificati. Et tamen ex hujus unius conspectu adeo recreati sunt apostoli; quid si Dominus omnes dotes corporis, quid si et animæ dotes, quid si divinitatem suam monstrasset?

Resp. secundo, affecisse totum Christi corpus, non faciem tantum: ex corpore redundasse splendorem in vestimenta ut lucida simul et candida apparerent, sicuti sol illuminans nubem reddit eam candidam et lucidam. Cæterum nominatim facies Christi rutilasse instar solis jure dicitur, quia ea in passione plurimum pati debebat et maxime deformanda ac conspunda erat, tamquam locus esset immundissimus. Magnæ autem confusione juste debetur magna gloria. Hinc membra ss. martyrum vulneribus et ignominia potissimum affecta fulgebunt in gloria maximopere.

Ad hæc uti fulgor corporis Christi indicabat futuram ejus gloriam, sic fulgor vestimentorum a corpore participatus indicabat gloriam sanctorum, qui per vestimenta Christi designantur Isai. XLIX. Vivo ego dicit Dominus (Christo videli-

cet) quia omnibus his velut ornamento vestieris et circumdabis tibi eos quasi sponsa.

Candor vestium festivitatis et laetitiae signum est: hanc ibi expectamus, vigiliam hic celebramus.

V. Cur apparuerunt et vere comparuerunt ibi Moyses et Elias? Resp. primo, ut intelligerent discipuli Dominum suum non esse Eliam, aut Jeremiam, aut unum ex prophetis, sed prophetarum omnium Dominum, ad cuius festivitatem condecorandam venerunt duo illius servi maiestate circumdati.

Secundo, ut omnibus innotesceret Christum a lege et prophetis testimonium suæ divinitatis et doctrinæ habere, contra calumniam Judæorum accusantium Christum quasi transgressorum legis et blasphemum, Dei gloriam sibi usurpatam. Tametsi enim Christus multis modis testabatur suam divinitatem et missionem a Patre, dicebant tamen Judæi: Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Itaque Judæorum legislator Moyses adducitur, et magnus ille legis zelator Elias, ad approbadum evangelium: Quod a lege erat insinuatum, a prophetis prænuntiatum, ut ait Augustinus, libro V. de hær. cap. VII. quodque si illis contrarium fuisset, non dixisset Pater de Filio: Ipsum audite. Nesciebat igitur Petrus quid diceret, cum petiit aëdificari tria tabernacula singulis distincta, quia hæc tria unum sunt, et unum eorum tabernaculum, Ecclesia Dei: habent itaque hic Judæi signum de cœlo, quod petierunt.

Tertio, ut omnis generis testes evangelii adduceret, ex mortuis Moysen, ex viventibus discipulis, ex iis qui extremo tempore vivent, Eliam. Moyses initium dedit legi veteri, Elias finem imponet novæ. Christus inter utramque medius, et finem dedit veteri et initium novæ: ut ita impletatur illud Habacuc, capite III. In medio duorum animalium cognosceris, ut exponit Tertull. I. contra Marcion. cap. XXII. Sic Nicænum Concilium confirmari voluit Deus etiam a mortuis, ut scribit Nicephorus, I. VIII. cap. XXIII. et Greg. presbyter, orat. de patr. Conc. Nicæn. duobus inquam episcopis, qui durante Concilio obierant, finitoque Concilio a patribus compellati, et ipsi manu sua Concilio subscriptis reperi sunt: postquam acta Concilii super eorum sepulcra posita fuere.

Quarto, ut ostenderet se vitæ et mortis Dominum, viventium et mortuorum (siquidem Eliam vivum e paradi, Moysen mortuum e limbo adduxit) et venturum aliquando maxima eum gloria judicare vivos et mortuos. Tunc uti Elias ad paradisum, Moyses ad limbum reductus

est; ita electi ad cœlum evenerunt, regni probi ad infernos defrudentur. Item neminem nisi per ipsum ejusque fidem salvandum.

Quinto, ad instructionem discipulorum. Nam et Moyses et Elias pro lege Dei, morti se exposuerunt impetrati: Moyses opposuit se Pharaoni, Elias Achabo. Hinc conformari debabant discipuli ut simili fortitudine pro evangelio se morti offerre et aspera quæque sufferre non dubitarent. Item ut Moysis charitatem, qua petierat deleri e libro vitæ ut dimitteretur noxa populo; Eliæ zelum, quo 430. pseudoprophetas delevit, imitarentur.

Sexto, quia utrique Christus in quibusdam similis erat. Primo, in jejunio quadraginta dierum: ex quo disceremus, si cum Christo jejunemus, cum eo nos glorificando esse. Secundo, similis erat Moysi in mansuetudine, sufferens patientissime quascumque injurias sibi illatas: similis Eliæ in zelo justitiae et honore Patris tuendo.

Septimo, ad instructionem nostram, ut nos ipsos perpetuo inter Eliam et Moysen, id est, vivos et mortuos constituamus, et uno quidem oculo vitam, altero mortem contemplemur. Ita monet S. Bernardus Eugenium pontificem, ep. CCXXXVII. « In omnibus operibus tuis memento esse hominem, et timor ejus, qui aufert spiritum principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores tui, tuæ certissimæ et citissimæ decessiones admoneant, et modicum tempus dominationis eorum pauitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Jugi proinde meditatione inter hujus præsentis gloriæ blandimenta memorare novissima tua, quia quibus successisti in sedem, ipsis sine dubio sequeris ad mortem. » Sic ille.

VI. Qua de re loquebantur? Respondet S. Lucas, dixisse excessum ejus, id est, mortem seu exitum Christi, ut habetur in Graeco. Sed cur ibi de morte Christi sermo, in tanta solemnitate et gloria? Resp. primo, ut confirmaret id quod paulo ante discipulis predixerat, Mat. XVI. quia nimis oportet eum ire Hierosolymam et multa pati a senioribus et scribis et occidi, etc. Docet igitur discipulos Dominus, hoc jam a Deo definitum et a prophetis prævisum ac prædictum esse, prædicere et confirmari eorum nunc testimonio.

Secundo, ut doceret nobis per crucem veniendum esse ad gloriam, et per ejus mortem adiutum ad vitam aperiri. Nam si Christus ipse sanguinis suæ lytro morteque ipsa gloriam suam comparare debuit, nemo gratis sibi dandam

speret. Unde colligimus cruces et tribulationes maximi faciendas, quia sunt monetae, quibus emitur gloria: unde a S. Petro, I. Pet. I. vocantur posteriores Christi gloriae.

Tertio, ut doceret quemadmodum nihil in mundo usquequaque jucundum, quod non habeat annexum aliquid triste vel amarum: ita laetis rebus tristia miscenda. Sicut olim triumphibus victoribus a tergo occinebat præco: Respice post te, hominem memento te. Cui etiam a tergo, appensi ad currum triumphalem fasces erant, quasi aliquando eo devenire queat, ut virgis cædatur; quod certe factum Christo. Itaque: Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus latatus fuerit, meminisse debet tembroso temporis et dierum multorum, id est, aternitatis, ait Ecclesiastes, cap. XI. Hoc est tingere bucellam suam in acetum, quod Booz facere jussit Ruth, Ruth. II.

VII. Ad quid adducta nubes? Resp. primo, ut ostenderet Petro Christus: Se tabernaculo ipsius minime opus habere. Ipse quippe erat qui patribus ejus tabernaculum nubis fecerat in solitudine per quadraginta annos, ait S. Ephrem. serm. de transfig. Domini. Tabernaculum itaque melius exhibuit, ut docet et nos sollicitos esse potius de coelesti tabernaculo, quam de terreno.

Secundo, ut indicaret præsentiam ipsius Dei Patris locuti mox ea tamquam præsentis, nec non majestatem venturi ad judicium Christi.

Tertio, ad arcendam discipulorum curiositatem, ne viderent quomodo et quorsum abducentur Moyses et Elias, quemadmodum et ipsis dormientibus adducti erant: item quomodo Christus splendorem suum deponeret, quem iisdem nescientibus assumpserat. Ita olim dicebat Deus ad Moysen: Veniam ad te in caligine nubis, Exod. XIX. Ideo mons Sinai fumabat, dum ibi loqueretur cum Moyse Deus.

VIII. Cur præcepit Christus discipulis: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat? Resp. primo, ne rudis plebs occasionem acciperet gravioris scandali, vel certe aliorum peccatorum: si viderent eum postmodum crucifigi, de quo tam magnifica spargebantur. Quanto enim quisque magis celebratur dum stat, tanto aerius in eum dicitur, cum ad casum impellitur. Multi etiam qui hanc ejus gloriam cum invidia audivissent, postmodum videntes Christi depressionem, perperam plausissent. Alii Christo infensi, graviore in eum propter hoc contumelias exagitassen in opprobrium credentium.

Secundo, poterat id invidiam aut inçorem excitare inter reliquos discipulos et contentiōnem, quod non omnes ad hoc spectaculum admissi essent: ideo hæc præscindere voluit

Tertio, ad commendandam nobis humilitatem, ut ne desideremus praedicari bona nostra in hac vita, sed differri potius optemus usque ad diem illum, qui omnia revelabit: *Et tunc erit tibi gloria, cum dicetur tibi: Amice, ascende superius.*

IX. Quomodo Deus in Christo sibi complacet? Respondet pater Cornelius a Lapide, in c. I. epist. II. S. Petri: «Primo, quia eum Verbo hypostaticae unitum, ut Filium suum infinito amore diligit, in eoque Iesu complacendo conquiescit.»

Secundo, quia per eum solum placuit illi homines redimere, novamque legem et Ecclesiam instituere.

Tertio, quia in summa ejus obedientia, humilitate, sanctitate mire sibi complacuit, per eum placatus fuit toti humano generi, ac cum eo in gratiam redit, et innumera scelera ei condonavit: nam ut ait Christus Joannis VIII. Quae placentia sunt ei, facio semper: ita S. Bernar. serm. I. de epiphan.

Quarto, quia per eum omnes in eum credentes diligunt, sanctificant, filios et haeredes suos destinat. Nemo enim placet Deo Patri nisi per Christum, et omnes qui Christo placent, et ipsi. Denique, omnis virtus placet, sapientia, sanctitas,

adeoque quidam Deo placet, per Christum placet.»

X. Quis ordo hujus transfigurationis? Respondebat ibid. Corn.

« Primo, Christus oravit, interim discipulis ex labore consensi montis, et ex prolixitate orationis Christi somno gravatis ac dormientibus, transfiguratus est Christus. Secundo, accesserunt Moyses et Elias loquentes cum Christo de excessu (morte crucis) quem completerus erat in Jerusalem. Tertio, apostoli e somno hoc fulgere et colloquio excitati viderunt gloriam Christi, cum eoque colloquentes Moysen et Eliam. Quarto, finito hoc colloquio cum signum darent abitus, S. Petrus haec voluptate quasi ebrios volunt eos parare abitum, petiit fieri tria tabernacula, unum Christo, secundum Moysi, tertium Eliam. Quinto, supervenit nubessubducens Moysen et Eliam, cum voce ad Christum: Hic est Filius meus dilectus, etc. quibus territi S. Petrus, Jacobus et Joannes ceciderunt in terram, sed mox a Christo confortati et erecti, levantes oculos suos solum viderunt Jesum. Interim Moyses ad Iacobum, Elias ad suum locum per angelum uti adductus, ita et reductus est. »

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

MEDIA AD TRANSFORMANDUM INDURATUM PECCATOREM  
IN VIRUM ALTERUM, ET COR EMOLLIENDUM.

I. Verbi Dei frequens auditio. — II. Assidua oratio. — III. Conatus serius. — IV. Assuefactio ad oppositum.

#### THEMA.

*Duxit illos in montem excelsum seorsum et transfiguratus est ante eos. Matth. XVII.*

Conduximus ante octiduum quod velimus per hos dies ad exemplum Christi versari cum bestiis. Piscem ex natalibus jam vidimus, nunc agemus cum reptilibus. Puto enim et ista adrepsisse ad pedes Christi degentis in deserto. Horum princeps est serpens: qui etsi veneno plenus, praeclarum tamen nobis tradit documentum. Nam ut scribit S. Hieron. in ep. ad Praesidium, cum pre senio caligare incipit, tum veterem exuit pellem; sed quadraginta diebus prius jejunat, et tum angustum foramen inquirit, per quod eluctando laxatam jejunio exuit cutem una-

que senectam. Nihil aequa necessarium peccatoribus, quam ut hoc praesertim tempore, vetustam peccatorum pellem et inolta vita exuant: uti avaritiam, gulam, superbiam, luxuriam, iracundiam et hujusmodi. Horruit quidem Moyses et fugit, quando abjiciens virgam, vidit eam conversam in serpentem, Exod. IV. sed ubi Dei jussu illam apprehendit, vidit serpentem illum iterum conversum esse in virgam, qua deinceps mira plurima patravit. Pari modo horrebunt, opinor, peccatores, praesertim inveterati, serpentem illum, qui veterem exuat hominem et amplectatur novum. Verum non est quod abhorreat; virga erit non serpens. Atque hoc etiam est, quod docemur in hodierno evangelio, scilicet una cum Christo transfigurari in alium hominem. Media suppetit Christus in hac ipsa sua mira metamorphosi, que nunc expendimus.

I. Christus accepit secum tres discipulos Petrum, Jacobum et Joannem. Postiores duos Boanerges, id est, filios tonitru appellarat, quod essent eximi et ferventes concionatores futuri:

quibus bene jungitur Petrus, et ipse summus verbi Dei praeco, ipse quoque tonans contra Iudeos, verbis illis: *Quem vos crucifixistis, auctorem vitæ interfecistis, quem vos interemistis, etc.* Act. c. II, III, IV. et V. Igitur qui transfigurari, et in alterum virum e perverso mutari vult, verbi Dei praecones frequenter et libenter audiat: *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus; et quasi malleus conterens petram?* Jer. XXIII. Mirum quid de Germanico viro claris. C. Caligulae imp. patre scribit Plin. I. XI. c. XXXVII. Suetonius in Calig. c. I. et IX. ejus defuncti corpus ergo quidem absumptum fuisse, cor autem solum ab igne comburi non potuisse, ob venenum a Tiberio ei propinatum. Verum ubi id de consilio medicorum theriaca probatissima perfusum fuit, mox combustum est. Theriaca fit a carnibus viperarum, juncitis aliis simplicibus: et concio verbi Dei fere fit e peccatis hominum, quae committunt, ut ea perstricta corrigan. Ergo si cuius cor veneno vitiorum ita obfirmatum est, ut igni Spiritus sancti resistat, profundatur cerebra verbi Dei auditione, et tandem superabitur ac cedet imperanti Deo. Ita enim dicitur Sap. XVI. *Sermo Dei sanare omnia.* Exemplum habemus apud Rufinum, l. III. n. CVII. Rosweid. l. VII. de vitis pp. de Paulo simplicie discipulo S. Antonii, qui ingrediens in templum, spectans videt plerosque hilari vultu et animo ingredi eum angelis custibus, similiter laetantibus. Unum tantum inter eos vidit nigrum et nebulosum corpus habentem, et dæmones hinc inde trahentes eum, misso in naribus fræno, angelumque ejus a longe sequentem tristi vultu. Eumdem porro egredientem vidit clara facie et candido corpore, angelum ejus mire exultantem, dæmones a longe sequentes. Itaque Paulus templum ingressus in altiore locum ascendens turbæ explicit convocatae, quod vidit, petens ab illo, quem vidit, ut se manifestaret, causamque sue mutationis exponebat, mox ille coram omnibus aperuit, quomodo multo tempore fornicationi fuisse deditus, ingressus vero templum audisset praedicari id Isa. I. *Mundi estote et tollite malitias de animabus vestris ante conspectum oculorum meorum, etc.* eoque auditio compunctis promiserit Deo emendationem, renuntians prioribus vitiis, sieque eo proposito firmatus exierit e templo. Quo auditio omnes Deum laudarunt, atque intellexerunt verbo Dei hominem istum sic fuisse immutatum. In vita Sancti Phillipi Nerii scribit Ant. Gallonius juvenem quemdam saeculo et laetitati deditum, saepe ejus conciones frequentare quidem, sed tantum deridere solitum: unde aliqui ejiciendum putabant: sed sanctus eum tolerandum dicebat,

I.

fore ut suo tempore caperetur Dei verbo. Idque tandem factum est insperato, ita ut mundo valericens ordinem S. Benedicti ingressus sit. Abbas Pastor hac ratione demonstrabat duritiam frangi Dei verbo: « Natura aquæ mollis est, lapidis autem dura est: et si vas aqua plenum pendeat supra lapidem, ex quo assidue stillans guita cadat in lapidem, tandem perforat eum: ita et sermo divinus lenis, cor autem nostrum durum est: audiens ergo homo frequenter sermonem divinum, aperitur cor ejus ad timendum Deum. » Ita vita pp. lib. VI. libello XVIII. n. XVI. Ratio est, quia in concione non solum ostenditur tibi deformitas tua, ut te ipsum agnoscas et horreas; sed moveatur etiam cor, ut te emendas.

II. Christus oravit, et dum oraret, facta est species vultus ejus altera, ait S. Lucas. Idem faciat qui duro est corde, instet orationibus, et sic, ut sperandum, dum orando perseverat, mutabitur in virum alterum. Ratio est, quia homo facile induit mores eorum, quibuscumque crebro converatur et loquitur, velut qui cum unguentario diu moratur, aut cum homine aulico, cuius vestes suavi odore redolent, eodem odore imbutus discedit; qui cum Cæsare frequenter et familiariter agit, sensim graves induit mores, magnarumque rerum scientiam sibi comparat, gratiamque imperatoris: *Ita ex consortio sermonis Domini.* Moyses postquam quadraginta diebus cum Deo in monte Sinai commoratus fuit, splendorem in vultu contraxit adest radiantem, ut Hebrei non possent eum intendere, nisi vultum velaret, Ex. XXXIV. Unde S. Chr. I. de orando Deum, ait: « Sic ut fieri nequit, ut qui solis radiis fruitur, non effugiat tenebras: ita fieri nequit, quin ille, qui cum Deo consuetudinem agit, desinat esse mortaliter. Et qui cum Cæsare miscent sermones, familiariterque cum eo versantur, non possunt esse pauperes: multo minus fieri potest, ut qui Deum deprecantur, familiariter cum eo colloquentes, animas habeant mortales. Nam mors animæ est impietas ac vita pugnans cum lege divina.

¶ Certe Augustinus ante conversionem suam, cum putaret sibi impossibile esse a consueto illegitimo thoro sese continere, ad orationem versus ferventer et frequenter orabat: *Domine da quod jubes, et jube quod vis.* Tandem exauditus et voce sensibili jussus legere Scripturæ sacrae codicem, legit et abrupte vincula omnia, atque tunc: *Quam suave mihi subito factum est,* inquit lib. IX. confess. c. I. carere vanitatibus nugarum, quas emittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat.

Ad hæc oratio tam potens est, ut omnia impetrare possit, si assidua sit et constans. Ita enim

51